

/ Urbi et orbi ignotus, orbi et urbi notissimum et amantissimum cardinalem, secundum eam quae in Christo est charitatem, precibus confidenter aggredior.

Habemus hic et Lugduni unam et alteram virginum et viduarum congregationem, quae licet verius oblatae quam veri nominis religiosae aut moniales censendae sint, tamen castitatem ac sacram pudicitiam sanctissime colunt, obedientiam simplicissime amplectuntur, paupertatem religiosissime sequuntur; et quamvis ex earum ritu clausurae non sint addictae, eam nihilominus ex animi fervore propemodum servant perpetuam, quandoquidem nunquam, nisi gravissimis et piissimis causis impellentibus, extra domum pedem efferunt; sed statutis horis, iisque apte per totum diem dispositis, officium parvum beatissimae Virginis simul in choro recitant, cantu ad pietatis regulas tam feliciter formato, ut vix dici queat, num gravitatem suavitatis, vel suavitatem gravitas superet. Orationi vero illi angelicae, quam mentalem vocant, duabus item horis, una matutina, alia vespertina, maximo cum fructu operam navant, ac, ut uno verbo concludam, illas mihi referre videntur foeminas, de quibus sanctus Gregorius Nazianzenus ad Hellenium tam magnifice loquitur, ut eas caelestia et pulcherrima Christi sidera nominare non vereatur.

Verum cum non ita pridem reverendissimum dominum archiepiscopum Lugdunensem salutandi gratia adiissem, verbaque simul de rerum nostrarum ecclesiasticarum statu misceremus, incidit inter alia sermo de istis duabus congregationibus mulierum, quarum odor suavissimus est in utraque dioecesi, ut proinde earum recta gubernatio maxime omnino videatur esse momenti.

Cumque ille suggereret operae pretium fore, ut imprimis eas ad regulam aliquam religiosam, ex iis quae ab Ecclesia approbatae sunt, et ad clausuram, ac vota solemnia amplectenda, induceremus; ego quoque in eam sententiam facile descendi, tum ob viri singularem in me auctoritatem, atque perspectam omnibus peritiam et pietatem, tum ob no-

/ minis religiosi splendorem, quem magno ornamento istis, alioquin pi-
issimis, congregationibus futurum existimabam.

Ita ergo inter nos statutum est: atque ubi id aggredi coepimus,
miram in eis et suavissimam ad obediendum animorum promptitudinem
5 et facilitatem invenimus.

Tria tantum habent in usu peculiaria pietatis officia, quae sum-
mopere illis cordi sunt; et quae si ab apostolica Sede concedantur,
nihil in hac status mutatione durum, nihil insuave futurum est. Ea
autem sunt ejusmodi, quae, quantum existimo, cum clausura, aut statu
10 religioso mulierum, minime pugnent; quaeque peritis rerum nostrarum
Gallicarum aestimatoribus non solum non imminuere, sed etiam plu-
rimum promovere pietatem videantur.

Primum est, ut ad officium clericale, quod magnum vocant, non obli-
gentur, sed tantum ad officium parvum beatissimae Virginis. Hujus
15 autem harum desiderii ratio est, quia in illis congregationibus ple-
rumque recipiuntur mulieres jam adultae, quae officium magnum, cum
illius rubricis, vix ac ne vix quidem addiscere possent; deinde
quia breve illud officium beatae Virginis, magna vocum, accentuum,
pausarumque distinctione celebrant, quod nequaquam, si longius offi-
20 cium recitandum foret, praestare possent. Quod ideo maxima conside-
ratione dignum est, quia inter omnes totius orbis mulieres, nullae
sunt quae ineptiore latini sermonis pronuntiatione utantur quam Gal-
licae; quas proinde impossibile esset accentuum, quantitatum, et rec-
tae pronuntiationis leges, in tanta officiorum, lectionum et psalmo-
25 rum varietate, observare. Unde dolendum est, tantam in plerisque mo-
nasteriis mulierum pronuntiationis imperitiam audiri, ut etiam alio-
quin cordatis auditoribus interdum risum, sciolis vero et haeresi
infectis cachinnum moveant et scandalum.

Secundum est, quod viduas interdum etiam aliquot annis, in habitu
30 saeculari, sed tamen modestissimo, secum ad congregationis pia offi-
cia exercenda habitare permittant: verum non sane quidem omnes vi-
duas, sed eas tantum quae, cum religionem ingredi cupiant, interim

/ dum de nuntio saeculo ac nuptiarum interpellatoribus remittendo serio cogitant, thesaurum castitatis,quem in vasis fictilibus portant, abscondere prudenter quaerunt, ne in manibus illum portantes in conspectu filiorum hominum, latronum depraedationi objiciant. Hujus
5 autem desiderii ratio est, quia in istis regionibus tanta libertate viri viduas,quamvis piissimas, colloquiis et irritamentis saecularibus infestant, ut quae veram viduitatem colere volunt, vix id tuto praestare possint; quibus hac via optime consulitur. Cumque hujusmodi viduae obedientiam et exactam propemodum clausuram observent
10 (vix enim semel bisque quotannis,ad domestica negotia componenda, illis egredi contingit), nihil omnino dispendii, plurimum vero compendii huic consuetudini inesse existimandum est. Immo vero multo minus ea periculum habet, quam quae in plerisque piissimis monasteriis viget, ut sorores conversae,negotiorum gerendorum gratia, egredi et regredi possunt; neque multo plus difficultatis quam illa,quae
15 tamen satis trita est, ut puellae educationis gratia in monasteriis recipiantur. Quid enim interest num puella educationis,vel vidua castitatis gratia, in monasterio degat ? Quae omnia maxime vera existimebit,quisquis harum regionum gallicarum mores et ingenia recte
20 perspexerit. Tertium est, quod non solum viduas hujusmodi,quae serio saeculo renuntiare intendunt, sed interdum alias etiam conjugatas admittunt, eas scilicet,quae cum velint novam in Christo vitam instituere, atque adeo confessiones,quas vocant generales, praevis aliquot exercitiis spiritualibus, facere, opus habent in remotum a
25 saecularibus locum tantisper aliquot diebus secedere. Et sane,quam uberes fructus haec sacra paucorum dierum hospitalitas afferat, nemo satis pro merito dixerit. Per eam enim non quieti tantum, sed et pudori,verecundiae ac honestati mulierum consulitur, dum ad fenestellam craticulis ferreis munitam, pro confessionibus sororum audi-
30 endis efformatam confessarios accersunt, ibique documenta salutis audiunt,quae postea per quietem cum aliqua ex sororibus animo revolvunt. / ~~Perfusa est istius aenae pia subit,propter quam mulieres no-~~

/ Porro si aliqua causa pia subsit, propter quam mulieres monialium claustra ingredi possint (sunt autem aliquot), hae duae inter praecipuas numerandae sunt; quas tamen ita obtinere aequum est, si ab ordinario ejusve vicario generali scripto probentur, et quamdiu ex
5 hujusmodi praxi nihil detrimenti disciplinae regulari accedat.

Quod si ex praeterito de praesentibus et futuris conjectura sumenda sint, nihil omnino sanctius, nihil utilius; quin immo, quia res felicissimum hactenus habuit successum, in posterum eundem habituram sperandum est. / Caeterum habet reverendissimus dominus archie-
10 piscopus Lugdunensis intercessorem potentissimum, christianissimum. scilicet regis oratorem. Habent etiam sorores hujus civitatis validissimas preces serenissimae ducissae Mentuae viduae, quae eas plurimum diligit. Ego vero, cardinalis amplissime, te unico intercessore utor, tum quia te solum ex augustissimo illo apostolico collegio
15 novi, tum quia de rebus istis nostris cisalpinis optime judicare potes, et plerisque illud suggerere, aliter hic, aliter ibi rem divinam esse promovendam, pro morum ac regionum varietate; tum quia de tua erga hanc dioecesim miserabilem commiseratione, libri tui Controversiarum, de tua vero erga pias animas benevolentia novissimus il-
20 le et amabilis nimis tuus Benjamin, dubitare non sinunt. Quare de eximia illa illustrissimae dominationis vestrae in bonos bonorumque conatus propensione confisus, eam enixe rogo et obtestor, ut pro sua prudentia, negotium sua, qua pollet, auctoritate promoveat et conficiat. Vale, clarissime, amplissime et illustrissime praesul; et me Je-
25 su Christi amore excusatum et amatum velis, rogo supplex et obtestor. Annesii Gebennensium 10 Julii anno 1616.

Illustriss. et R/mae Dominationis Vestrae

Humillimus, et obsequentissimus servus

Franciscus Episcopus Gebennensis.